

De notitia divisionis^a zone habitabilis nostre*M: fol. 45^{rb}-46^{ra}; E: fol. 36^{vb}-37^{vb}*

Zona temperata, que colitur a nobis et habitatur convenienter, divisa est in tres partes scilicet in Asiam, Affricam et Europam. Et has partes filii quondam Noe designaverunt post diluvium aquarum et post mortem patris sui, ideo ex ea fecerunt tres partes nec amplius, quia non erant nisi tres, nomina quorum sunt hec: primus Cham, secundus Iaphet et tertius Sem. Positis sortibus Sem habuit Asiam, Cham habuit Affricam et Iaphet Europam etc. De quorum divisione in secundo libro, ubi est rota viridis partita in tres partes, sufficientius^b enumeratur¹. Asia ergo tenet medium mundi, id est medietatem huius zone temperate, que habitatur a nobis. Et incipit rationabiliter in medio meridie tendens per totam partem orientis et tenet medium septentrionem in giro. Affrica tenet medium occidentis et extenditur in giro per meridiem usque ad punctum principii Asie. Europa tenet medium septentrionis et medium occidentis in giro.

Consimiles vero divisiones sunt in altera zona, que est temperata versus austrum et que est tante quantitatis et qualitatis in omni. Licet autem sit temperata ut nostra et taliter condecorata in omni ad habitandum et colendum et usufructandum, dicimus, quod non colitur nec habitatur ab aliquibus, quod veraciter sciatur, quamquam fuerint quidam dicentes, quod, quam cito anima hominis separatur de corpore in ista zona, ipsa transit per ignem et aquam et intrat noviter in corpus novum, quod creatur in altera zona, permanens etate completa mille annorum, antequam redeat ad consimilem renovationem non in illo corpore, sed in alio, quod est erroneum. Tamen in hoc casu ego^c personaliter oppinor, quod cultivetur et penitus habitetur, cum Deus sapiens et generalis creator quicquam non fecerit in vanum, et, quod creavit et fecit, non fuit sine causa generali et speciali. Sed qui eam cultivent et habitent et quomodo res se habeant in eadem, finaliter non determinatur^d scriptura alicuius sapientis. Et ego hoc volens cognoscere nunquam adhuc nisi oppinando potui experiri. De nostra^e vero scimus, quod ipsa in toto circuitu suis^f colitur^g et habitatur non ab uno genere gentium, sed a diversis, que secundum earum permanentiam habent ortum solis, meridiem et occa-

a) *fehlt E.* b) *sufficiens E.* c) *fehlt E.* d) *fehlt E.* e) *nostro M.* f) *folgt anni cum quibusdam M (Augensprung).* g) *collitur M.*

1) Vgl. o. S. 452 Anm. 78.